

luminis merces, quas Venetias detulerant, sibi restitui, vel tantundem pecuniæ a legatis Senatus nomine polliceri flagitabant, quæ Ottomanorum fisco ex aluminis vectigali publice Byzantii sub hasta conducto ab iis debebatur: qua ex re cum vehementer Bassa excandesceret, ac ni satis Judæis legati facerent, gravia minaretur, eos ad judicem Turcicum, quem *Cadi* vocant, ut jure apud eum agerent, perducere iussit. Legati rei novitate commoti, Bassam multis dictis a sententia avertere conantur: cum nihil suadendo proficerent, insolens barbarus eos in iudicium invitos trahi jubet; vis infertur, ingentique plebis furore a Zausiorum præfecto ad iudicem ducebantur, illis frustra postulantes, ut Galatam Judæi, de negotio secum acturi, se conferrent. Tandem, ne ad iudicem raperentur, in Hibraimi interpretis ædes (*Dragomanum* Turcæ vocant) duci se permittunt; nullum officii genus, ut ratio illis satisfaciendi inveniatur prætermittunt. At jam nonnihil de animi pervicacia remisso, Judæi acquieverant, cum Bassa indignabundus, scripto Bailum se obstringi imperat, nisi, legato Venetias reverso, publico nomine Judæis quidquid petierant, persolveretur, coram Turcico iudice adfuturum, quæ ea in re statuisset, præstaturum. Itaque coacti legati schedulæ (quod *cogetum* Turcica lingua nuncupatur) cum nullus obstitendi locus esset, subscribunt.

Veneti legati in iudicium a Turcis Hebræorum mercatorum causa vocati.

De iis, quæ acciderant, Senatus certior factus, vehementer est commotus, quod barbare adeo cum legatis actum esset, ac, quod nullo pacto ferendum videbatur, vi adhibita, syngraphæ subscribere pessimo in posterum exemplo, atque publicis negotiis pernicioso compulsi essent. Ut igitur per vim facta rescinderentur, neque posthac quidpiam ejusmodi contingeret, Byzantium legatum mittere Senatus decrevit; munus Hieronymo Zannio, insigni civi, ac præcipuis domi ac foris magistratibus gestis claro, defertur. Verum Caballio legato Byzantio digresso, Superantius enixe adeo operam omnem, ac studium ad scriptum rescindendum contulit, ut tandem illud Bassa deleri, ac scindi adensus sit. Ea re cognita, Zannius, qui jam discesserat, atque ad Pharum, Illyrici insulam, pervenerat, in patriam est revocatus. Bassa Cubatem e Zausio-

Hieronymus Zannius ad Selymum Orator eligitur.